

cam diversae magnitudinis naves devexit, ut eas inde Babylonem duceret, ac postea in persicum sinum. Sic etiam *Mahummetes II* ab uno ad alterum mare per corinthiacum isthmum naves traduxit (1). Quae et plura similia fieri potuerunt navium partes plaustris imponendo, et postea iterum contextendo. Igitur rex *Hiram* potuit hac ratione mittere naves *Salomoni*, aut si hoc modo non misit, tamen eas misisse dici potest alio sensu, nempe mittendo nautas suos, qui ad littus maris rubri ad usum *Salomonis* fabricarunt, aut coemerunt naves, et in hac classe una cum servis *Salomonis* in *Ophir* navigarunt. Sidonii enim et tyrii, qui primi existimantur rei nauticae inventores, artis nauticae erant valde periti, et longe peritiores quam hebraei. Favet huic nostrae responsioni alius s. Scripturae textus (2), ubi dicitur: *Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber... misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris, cum servis Salomonis*. Vide *Sanctium* in hunc locum. Denique tertia responsio est *Calmeti* et aliorum dicentium, regem *Hiram* hoc sensu *Salomoni* misisse naves, quod classem, quam in rubro mari habebat, *Salomoni* commodaverit, et forte iter, ac navigatio communi sumptu suscepta fuerit; cum aliunde certum sit, quod *Hiram* classem suam miserit in *Ophir* una cum *Salomonis* classe (3), quia classis regis per mare cum classe *Hiram* semel per tres annos ibat in *Tharsis*. Unde *Calmet* in hunc locum Scripturae ait, liquido constare, classes *Salomonis* et *Hiram* e portu *Asiongaber* in mari rubro solvisse, atque inde in *Ophir* contendisse.

(1) Vide *Calmetum* comment. in II. Paralip. c. 8, v. 18.

(2) III. Reg. c. 9, v. 26 et 27.

94. **QUAERES XVIII.** *Quomodo hebraei* (2. Paralip. 10, v. 4), *coram Roboamo conqueri potuerint de tributorum excessu, a Salomone impositorum*: PATER TUUS DURISSIMO IUGO NOS PRESSIT etc.; cum tamen (ex 2, Paralip. 9, v. 20), *constet eam sub Salomone divitiarum affluentiam fuisse, ut argentum in diebus illis pro nihilo reputaretur?* R. Quamdiu *Salomon* manserat Deo fidelis, affluebat divitiis; quando vero mulieres Deo relicto adamavit, 700 uxores, et 300 concubinas (4), divitiarum tanto magis sensim imminuebantur, in quanto plures pellices illae dissipabantur, atque ut harum expleret cupiditatem, superbiam; domos et fana pro earum idolis construebat, novisque tributis coepit populum opprimere. Nimirum lascivo amor nullae divitiae nimiae sunt, qui montes etiam aureos concoquet.

95. **QUAERES XIX.** *Quomodo concordet illud* (2. Paralip. 14, v. 6): *Nulla temporibus eius (i. e. regis Asa) bella surrexerant, pacem largiente domino, cum verbis illis* (Ibid. v. 9): *Egressus est contra eos (i. e. contra exercitum Asae) ZARA AETHIOPS cum exercitu suo decies centena millia, et curribus trecentis, et* (Ibid. v. 10), *Asa perrexit obviam ei etc.*? Numquid tali modo *surrexerunt bella temporibus eius*, i. e. *Asae?* R. Versus sextus loquitur in plusquamperfecto: *nulla... bella surrexerant*, nempe ad id usque tempus, quo de muniendis urbibus suis agebat (5): at fuerunt bella deinceps. Ideo tam in textu hebraico, quam in graeco citato versu sexto dicitur *in annis istis*. Sicut enim textus hebraeus reapse ita habet: *Aedificavit urbes,*

(3) Ibid. c. 10, v. 22.

(4) Vide supra n. 46, q. 44.

(5) II. Paralip. c. 14, v. 6 et 7.

quia requievit terra, et non cum eo bellum in annis istis, quia requiem dedit ei Dominus: sic similiter LXX interpretes verterunt: *Καὶ ἀκοδόμησεν πόλεις τευχῆρεις ἐν γῆ Ἰουδα, καὶ οὐκ ἦν αὐτῷ πόλεμος ἐν τοῖς ἔτεσι ταύτοις, ὅτι κατέπαυσεν αὐτῷ κύριος*. *Et aedificavit urbes muratas in terra Iuda, et non fuit ei bellum in annis his, quoniam requiem ei dedit Dominus*. Praeterea versu primo dicitur: *in cuius (nempe Asae) diebus quievit terra annis decem* (1): ergo non semper.

96. **QUAERES XX.** *Quomodo* (2. Paralip. 15, v. 19), *salva veritate dici possit*: *Bellum non fuit usque ad 35 annum regni Asa; cum tamen certum sit, quod Zara multis antea annis bellum adversus regem Asa moverit?* Item: *Quomodo* (2, Paral. 16, v. 1), *veritati consentiat illud*: *Anno autem trigesimo sexto regni eius (i. e. Asae regnantis) ascendit Baasa rex Israel in Iudam; cum tamen Baasa iam ante annum 27 regis Asa* (3. Reg. 16, v. 8), *e vivis excesserit?* R. Bellum, quod ad annum 35 regni Asa narratur, numerari debet non ab anno primo regiminis Asa, sed ab anno primo factae divisionis regni israelitici a regno Iuda, ut sensus sit: *Bellum non fuit usque ad 35 annum regni Iuda, quod Asa obtinuit*. Similiter *Baasa* ascendit in Iudam anno 36 regni *Asae*, non numerando ab anno primo regiminis Asa, sed numerando ab anno divisi a regno Israel regni iudaici, quod tunc administrabat Asa. Ita interpretes communiter.

97. **QUAERES XXI.** *Quomodo* (2, Paral. 21, v. 12), *regi Ioramo ab Elia literae afferri potuerint; cum hic propheta sub Iorami patre rege Iosaphat* (4. Reg. 2, v. 12), *iam in*

coelum raptus sit? R. Communior est interpretum sententia, *Eliam* literas has de paradiso terrestri, vel de loco, ubi adhuc vivens persistit, ad *Ioram* misisse per aliquem angelum in forma humana comparentem. Alii putant, *Eliam* has literas scripsisse, antequam ad coelum raperetur, iam tum impietatem *Iorami* spiritu prophetico praenoscens, easque in *Elisaei* manus dedisse, qui eas regi *Ioram* suo tempore offerret.

98. **QUAERES XXII.** *Quomodo illud* (2. Paral. 22, v. 2): *Quadringenta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare coepisset, cum illis verbis* (4. Reg. 8, v. 26): *Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare coepisset, conciliari possit?* R. Cit. locus Paralip. a librariis seu descriptoribus vitiatum est, quod etiam *syriacus* et *arabicus* textus ostendunt, qui cit. loc. Paralip. pariter habent viginti duos annos. Dein, si rex *Ochozias* fuisset 42 annorum, quando regnare coepit, esset ante *Ioram* parentem suum biennio natus. *Ioram* enim cum moreretur, non fuit nisi 40 annorum, ut Scriptura (2) dicit his verbis: *Triginta duorum annorum fuit (Ioram), cum regnare coepisset, et octo annis regnavit in Ierusalem... et sepelierunt eum in civitate David*. Ergo vitiatum est cit. locus libri II Paralipomenon. Unde vero mendum irrepserit, explicat *Tirinus* in chronico sacro (3) his verbis: « Cum 2 Paralip. 22, v. 2 (*Ochozias*), dicitur fuisse 42 annorum, necessario videtur mendum istic agnoscendum, ex notis numerorum in prioribus hebr. exemplaribus vitiatum, et pro כב *caph beth*, id est 22, positum כב *mem beth*, id est 42, quae notae non multum

(1) II. Paralip. c. 14, v. 1.

(2) II. Paralip. c. 21, v. 20.

(3) Cap. 29 ad annum mundi 5151. *Ochozias*.

absimiles sunt » Eodem modo *Cornelius a Lap.* (1) respondet, ita scribens: « Facilius in ciphris irrepsit error, ut pro כב, id est 22, positum sit כב id est 42, ait *Mariana*; nam כ et ב characteres sunt affines. Atque haec videtur origo fuisse mendi... Plura in editione vulgata (Scripturae) a Romanis correcta sunt et plura corrigi possent, uti ipsi correctores in praefatione fatentur, atque error in numeris facile contingit, nec spectat ad fidem vel bonos mores. » Ita *Cornelius a Lap.*

99. QUÆRES XXIII. *Quomodo illud* (2. Paral. 24, v. 14): CUMQUE COMPLESSENT OMNIA OPERA, DETULERUNT CORAM REGE ET IOIADA RELIQUAM PARTEM PECUNIAE, DE QUA FACTA SUNT VASA TEMPLI AUREA etc., *cum alio Scripturae loco* (4. Reg. 12, v. 13), *ubi dicitur*: NON FIEBANT EX EADEM PECUNIA HYDRIAE TEMPLI DOMINI ET

OMNE VAS AUREUM etc. *concordet?* R. Initio non fiebant; et de hoc loquitur textus posterior: at postquam *complessent omnia opera* (ut in prioro textu habetur) de *reliqua parte pecuniae* fiebant vasa templi: cum nimirum iam perfecta omni instauratione templi, deprehensum fuit, ex illa collatitia pecuniae partem adhuc superesse. Ita *Tirinus* (2), *Cornelius a Lap.* (3) aliique.

100. QUÆRES XXIV. *Quomodo illud* (2. Paralip. 36, v. 9): OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN, CUM REGNARE COEPISSET, *cum verbis* (4. Reg. 24, v. 8): DECEM ET OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN, CUM REGNARE COEPISSET, *concilietur?* R. Octodecim annorum erat, quando solus post patrem regnavit; anno vero octavo coepit cum patre *Ioachim* regnare. Ita hebraei, et cum his *Tirinus* (4), *Cornelius a Lap.* (5), aliique.

SECTIO III.

DE DUOBUS LIBRIS ESDRAE

Extant sub *Esdrae* nomine quatuor libri, quorum duo priores, teste etiam *d. Hieronymo* (6), una contextus serie apud hebraeos continuati sunt, adeoque unum apud eos librum constituunt. Hi duo soli (nempe primus *Esdrae* et alter *Nehemiae*) ab universa ecclesia in canonem s. Scripturae recepti sunt: duo posteriores vero, nimirum liber tertius et quartus *Esdrae* ab ecclesia latina merito (7) reiecti, in definiendis religionis dogmatibus

(1) Comment. in II. Paralip. c. 22, v. 2.

(2) Comment. in IV. Reg. c. 12, v. 15.

(3) Comment. in eundem Script. loc.

(4) Comment. in II. Paralip. c. 56, v. 9.

(5) Comment. in eundem Script. loc.

nullam obtinent auctoritatem. Porro auctor libri primi est is, cui inscribitur, nempe *Esdra* filius *Saraiae* (8). Narrat autem hoc libro reditum iudaeorum ex captivitate babylonica Hierosolymam, quam una cum templo coeperunt restaurare: sed praepediti adversariorum calumniis, coacti sunt supersedere. Et haec est summa totius libri primi. Liber secundus, licet a *Nehemia*, qui erat sacerdos (9) et *Artaxerxis Longimani* pincerna (10), conscri-

(6) Vide *Calmeti* praefat. in lib. secundum *Esdrae*.

(7) Vide eiusdem auctoris dissertationem de tertio et quarto libro *Esdrae*.

(8) I. Esdr. c. 7, v. 1.

(9) II. Mac. c. 1, v. 21.

(10) I. Esdrae c. 2, v. 1.

ptus fuerit saltem quoad maximam partem, tamen a latinis *Esdrae* pariter inscribitur; quia, ut supra iam innui, olim unus idemque liber erat, qui in duos nunc dissectus, a nobis *L. I et II Esdrae* vocatur. In horum ultimo *Nehemias* narrat, quo pacto Hierosolymae restauratio vel invitis et repugnantibus hostibus a se procurata, et respublica iudaica optimis legibus constituta fuerit.

CAPUT I.

De libro I Esdrae.

101. QUÆRES I. *An Esdras sit auctor Pentateuchi?* R. Negative. Antequam responsionem probem, observo, quod huic quaestioni occasionem dederit larvatus ille *My-lord Bolingbrock* (1), qui de *Pentateucho Moysis* loquens, impie ait: « Suspicio, *Esdram* post reditum e captivitate babylonica omnes has aniles fabulas fabricasse. Scripsit eas literis chaldaeis, in lingua tunc iudaeis vernacula. *Ieremias*, ut mihi verisimile videtur, ad conscribendam hanc romanensem fabulam multum contulit. » Ita blasphemus ille. Sed contra est *I. Ieremias* ad minimum 40 et amplius annis in Aegypto mortuus est (2), antequam *Esdra* e captivitate babylonica Hierosolymam rediit. Quomodo ergo hic propheta aliquid conferre potuit ad fabricandas ab *Esdra* post reditum e captivitate babylonica aniles fabulas? II. Omnes christiani et iudaei *Pentateuchum* semper pro

(1) Vide *Nonnotte*, lexicon philos. art. *Biblia*, obiect. 2.

(2) Teste *Calmeto*, propheta *Ieremias*, anno mundi 5418, obiisse creditur in Aegypto; *Esdra* vero regnante *Cyro* ann. mundi 5468. Babylone Hierosolymam primo rediisse cum *Zorobabele* vulgo creditur. Vide *Calmeti* dictionarium bibl. *Ieremias* et *Esdrae*; item eiusdem auctoris

bo Dei scripto habuere, et etiamnum habent, et homuncio ille eum appellat *aniles fabulas*. III. Aliunde certum et demonstratum est (3), quod *Moyses* sit auctor *Pentateuchi*, et quod hoc opus a tempore *Moysis* usque ad nostram aetatem semper integrum conservatum sit (4). Qua fronte ergo *Bolingbrockius* asserere audet, illud ab *Esdra* primum excogitatum et fabricatum esse?

102. QUÆRES II. *An Esdras libros sacros restaurarit tantum, vel tempore captivitatis babylonicae perditos recens e memoria dictarit?* R. *Esdra* libros sacros tempore captivitatis babyl. dissipatos aut mendis infectos collegit quidem, digessit, et ab erroribus repurgavit: sed eos non ex integro reparavit, aut ex memoria conscripsit, aut conscribendos dictavit. Nam, ut alibi (5) demonstravimus, non est verisimile, quod omnia exemplaria s. Scripturae durante captivitate babyl. interierint aut fuerint destructa: ergo non fuit opus, ut *Esdra* libros sacros de novo e memoria dictaret aut scriberet, sed satis erat, quod eosdem a mendis, quae irreperant, repurgaret, et primaevae suae puritati restitueret. Quis enim credat, integram iudaeorum nationem legum et iurium suorum tenacissimam, omnes libros sacros penitus intercidere permisisse, in quibus universa hebraeorum respublica et religio ad legum mosaicarum normam dirigebatur? Scimus, quanta cura (6) *Ieremias* ignem sacrum et arcam cum altari thymiamatum, et

tabulam chronologicam generalem historiae biblicae ad ann. mundi 5417 ad caecem sui dictionarii bibl. positam.

(3) Vide s. Scripturae contra incred. propugnatae, V. T., sect. 1, q. 5.

(4) Ibidem q. 7, pag. 31-35.

(5) Ibidem.

(6) II. Mach. c. 2, v. 5.

candelabro aureo in latebris servavit: an minorem forte curam iudaei adhibuerint ad custodiendum verbum Dei scriptum? Certe *Esdras* ipsemet cum volumine sacrae Scripturae Hierosolymam rediit, ut in edicto regis *Artaxerxis* dicitur (1) his verbis: *Missus es, ut visites Iudaeam et Hierusalem in lege Dei tui, quae est in manu tua.*

DICES: In libro quarto *Esdrae* cap. 14 narratur, quod *Esdras* per 40 dies et noctes nunquam tacens, sacros libros dictaverit: ergo. R. Liber quartus *Esdrae* (ut supra in praefatione indicavimus) est apocryphus, et intolerabiles quosdam errores et fabulas continet, qualis etiam est illa cap. 4. de animabus iustorum ante mundi finem ad coelum non assumendis (2). Unde ex hoc libro nihil solide probari potest.

103. QUAERES III. *An Esdras veteribus characteribus hebraicis* (id est, *phoeniciis*, seu *samaritanis*, quibus iudaei ante captivitatem babil. utebantur) *characteres hebraicos novos* (id est, *chaldaicos*) *substituerit?* R. Affirmative. Id enim asserunt non solum rabbini, sed etiam s. *Hieronymus* (3) expresse dicens: « Certum est, *Esdras* scribam alias literas reperisse, quibus nunc utimur (*in bibliis hebraicis*), cum ad illud usque tempus iidem samaritanorum et hebraeorum characteres fuerint. » Ratio autem huius mutationis characterum seu literarum hebraicarum fuit duplex. Una, ne iudaei e captivitate redirent ullum commercium, vel literarum cum apostatis samaritanis haberent: altera quia iudaei in captivitate babilonica, sicut sermoni chaldaico, ita etiam characteribus

(1) I. *Esdrae*, c. 7, v. 14.

(2) Vide *Calmeti* dissertationem de quarto libro *Esdrae*, ante commentarium suum in 1 et 2 lib. *Esdrae* positam.

chaldaeorum assueverant, veterum characterum hebraicorum prope obliti. Unde *Esdras* scripsit et suum librum (qui dicitur liber I *Esdrae*), et reliquos libros sacros reparavit, non samaritano characterem, ut ante scripti fuerant, sed chaldaico, cui iam per 70 annos iudaei in captivitate babilonica assueti fuerant; de qua characterum hebraicorum mutatione per *Esdras* facta vide plura in speciali dissertatione, quam doctiss. *Calmet* ante commentarium suum in I et II librum *Esdrae* posuit.

104. QUAERES IV. *An Esdras textui hebraico addiderit puncta vocalia, quae hodie in bibliis hebraicis habemus?* Antequam respondeam, observo quadruplicem de origine horum punctorum vocalium darisententiam. PRIMA suscipitur, puncta illa coepisse una cum literis hebraicis a prima statim mundi creatione seu *Adami* temporibus; ita docet r. *Azarias* (4). SECUNDA contendit puncta haec fuisse saltem iam tempore *Moysis*, cui ea Deus in Sinai monte una cum lege tradiderit. TERTIA vult, fuisse ab *Esdra* primum inventa, et textui hebraico adscripta; sic multi protestantes, praesertim lutherani duce *Buxtorffo* (filio) tr. de punctorum hebr. antiq., quem sequuntur *Wasmuth*, *Carpzovius*, *Pfeiffer* etc.: vel *Moysen*, aut *Esdras* dictorum punctorum ita auctorem faciunt, ut puncta illa divinae auctoritatis velint esse. QUARTA denique, et apud calvinistas communior, doctorum autem catholicorum omnium, qui hac de re agunt, unanimis sententia est, non nisi ad finem 5 a Christo nato saeculi, vel ad initium 6, aut adhuc serius (5)

(5) Praefat. in II. Reg.

(4) L. 5 *Meor Henaim*, c. 59.

(3) Praeter *Morinum*, etiam *Natalis Alexander* (tom. 2 in 6 mundi aetatem,

puncta haec a iudaeorum rabbinis ex schola Tiberiadis, qui a קִפְרָא

Masora Masorethae (1) vocantur, excogitata a Bibliis hebraicis adscripta fuisse, ut genuina s. Scripturae lectio ex pp. traditione accepta perpetuo conservaretur illaesa. Ita cum plurimis rabbinis *Elias Levita* (2) asserit, et ex catholicis praeter alios *Serarius* (3), *Salmeron* (4), *Natalis Alexander* (5), *Morinus* (6), *card. Gotti* (7), *Widenhofer* (8). Ubi tamen observo, quod nullus horum auctorum dicat, nec nos ipsi, qui eorundem hac in re sententiam amplectimur, asseramus, textum hebraicum unquam sine vocalibus

dissert. 4, a 2) et *Calmet* (in dictionar. bibl. v. *Masora*, et *puncta vocalia*) contendunt, illa puncta primum octavo vel nono saeculo esse inventa:

(1) *Masora* est vox hebraea derivata ex verbo קִפְרָא *masar*, tradere, et idem signi-

ficat, ac traditio. Definitur autem, quod sit doctrina critica circa rectum lectionem et scripturam textus hebraici s. Scripturae, Ex quo ipso patet, illam ad hoc fuisse inventam, ut genuina lectio et scriptio textus hebraici sacri ab omni mutatione et corruptione servetur immunis; nam in opere rabbinorum, quod *Masora* dicitur, singuli versus seu sententiae s. Scripturae, imo singulae voces et literae, earum item varietas, numerus ordo annotantur, additis punctis vocalibus et marginalibus notis. Doctores vero hebraei, qui hoc opus composuerunt, appellantur *masorethae* seu *custodes traditionis*. Cum enim hebraei antiquitus sine vocalibus significationem vocum determinantibus scribere soliti fuerint, non nisi traditionibus quibusdam a patre in filium derivatis consonantes legere didicerant, variaque induci poterat significatio pro vocalium, quae subintelligebantur, varietate. Porro *Masorae* perficiendae plurimi anni insumpti fuerant. Huius enim operis auctores, seu *masorethae* erant plurimi, et ut *Elias Levites* (in *Masoreth Hammasoreth*, l. 1) ait: *Fuerunt centum et mille generatione post generationem*. Praeterea priorum *masoretharum* notis absque serupulo suas adiecerunt magistri posteriores, *Masoram* que ipsam tanquam opus imperfectum

fuisse *pronuntiatum*; cum sine illis consonantes pronuntiarum non possint: attamen absque illis vocalibus notis seu punctis, quae hodie textui hebraico appingi solent, usque ad *masoretharum* tempora textum hebraicum fuisse *scriptum*, contendimus, ac proin negamus, has, quas modo habemus, vocalium punctorum formas a *Moysese* vel *Esdra*, vel ab aliquo alio ante *masoretharum* tempora additas textui hebraico fuisse. Sententia nostra sic explicata sequentibus rationum momentis ostenditur.

I. Literae hebraicae veteres seu *samaritanae* (9) qui in siclis hebraeorum leguntur, punctis voca-

semper spectarunt. Unde memoratus *Elias* praefat. in *Masoram* notis illas eiusmodi esse, ait, *ut semper eis aliquid novi adici possit, et nova in dies excogitari possint.*

(2) Praefat. in *Masoreth Hammasoreth*.

(3) In Proleg. s. Scripturae, cap. 5, q. 5.

(4) Proleg. 4.

(5) Tom. 2 in sextam mundi aetatem, dissert. 4, art. 2.

(6) L. 2, exercitat. 9 de hebraei, graecique textus sinceritate.

(7) Tom. veritat. relig. christian. demonstr. tract. 5, c. 2, § 3.

(8) Tom. 1 Scriptur. dogmat. et polem. explicat. quaest. praeliminar. in lib. 1 *Esdrae*.

(9) Hic notandum, quod literae hebraicae seu hebraeus character sit triplex. Primus vocatur *samaritanus*, aut *phoenicius*, vel *chananaeus*, vel character *hebraeus antiquus*, quo scriptus est *Pentateuchus samaritanus*, et quo inscripti sunt nummi omnes iudaeorum sub *Machabaeis* signati, quibus vetustiores ex hebraeis monetis nulli supersunt. Si autem quaeras, cur characteres phoenicii, seu hebraei veteres vocentur *samaritani*, cum tamen diu ante *Samaritam* ipsam sub *Anri* rege *Israëlis* (III. Reg. c. 16, v. 24) conditam in usu fuerint apud hebraeos et alios Phoeniciae populos? R. Ratio videtur esse ista, quia hunc characterem samaritani semper retinuerunt etiam postquam apud iudaeos in desuetudinem venit sub *Esdra*, et praecipue dispersis in omnem terram sub *Tito* et *Ha-*

libus carent. Praeterea samaritani nulla puncta inscribunt suo Penta-teucho, quem olim a quodam sacerdote hebraeo (1) acceperunt, quod argumento est, codicem illum, quem secum advexerat iste sacerdos, aut a iudaeis mutuum acceperat, punctis quoque fuisse destitutum. Ille enim sacerdos hebraeus, quemadmodum legem *Moysis*, ita haud dubie etiam literas, quibus illa lex scripta erat, novis *Samaritiae* incolis tradidit. II. Volumina sacra, quibus iudaei in suis synagogis utuntur, non sunt cum punctis vocalibus descripta, neque his punctis in synagoga uti licet iudaeis, quod utique non fieret, si iam a *Moyse* vel *Esdra* puncta illa fuissent apposita. III. In toto *Talmude* (2) nulla fit punctorum mentio, cum tamen sexcentis in locis de iis commemorandis sit occasio, ut e. g. quando controversia erat de vo-

driano iudaeis; unde character ille hebraicus antiquus, sero denique ab hebraeis dictus est *samaritanus*. Secundus character hebraeus vocatur *quadratus*, vel *assyrius*, vel *chaldaeus*, aut *hebraeus novus*, cuius scriptio aut lectio hodie in grammatica hebraica addiscitur, et quo hodie Testamentum vetus hebraicum scribi aut typis imprimi solet. Tertius denique est character *hebraeus minor*, seu literae currentes, quas iudaei vulgo usurpant, et literas *currentes* vel *minores* appellant a celeri earum ductu, et figura notabiliter literis *quadratis* minore. Alio nomine vocantur etiam *rotundae* vel *rabbinae*; quia sicut literae quadratae, seu chaldaicae accedunt ad figuram angulosam et quadratam; ita literae currentes ad rotundam, hisque rabbini uti solent, quemadmodum ad oculum patet in *Talmude*, ubi sacer textus exaratus est literis chaldaeis, seu quadratis; glossae vero et annotationes doctorum talmudicorum literis rotundis seu currentibus. Porro aliter iudaei itali, aliter hispani, aliter germani, suas has vulgares, seu currentes literas efformare solent. Denique si quis harum literarum currentium formam et figuram videre velit, consulat institutiones hebraic. *Georgii Mayr*,

cabuli alicuius lectione, quod pro diversitate punctorum vocalium, siquidem iam tunc apposita fuissent, varios sensos efficere poterat. Iam autem nunquam dicunt talmudistae: *Ne legas cum hoc puncto vocali, sed cum illo*. IV. *S. Hieronymus*, qui saeculo 4 ecclesiae floruit, et linguae hebraicae fuit peritissimus, expresse testatur, hebraeos adhuc suo tempore consuevisse scribere sine additis vocalibus, et ex hoc ortam fuisse ambiguitatem in exponendis Scripturis. Nam (3) ita ait: « Verbum hebraicum, quod tribus literis scribitur דָּבָר (vocales enim in medio hoc verbum apud hebraeos non habet: sed pro consequentia et legentis arbitrio) si legatur דָּבָר DABAR, SERMONEM significat; si דָּבֵר דֵּבֵר DEBER, MORTEM; si דָּבֵר דַּבְּבֵר LOQUERE. Unde et LXX et Theodotio

p. 1, c. 1, in annotat. et p. 4, c. 10, ubi hic auctor alphabetum literarum currentium, et pro exemplo psalmum aliquem hisce literis expressum exhibet.

(1) IV. Reg. c. 17, v. 27 et 28.

(2) *Talmud*, sive *Talmud*, ex verbo

לָמַד *lamad*, didicit vel docuit, seu discere fecit, derivatur. Unde *Talmud* verti potest *doctrinale*, estque nihil aliud, quam corpus totius iuris sacri et civilis iudaeorum, constatque duabus partibus, videlicet *Miscna* et *Gemara*, quae ultima, nil aliud est, quam *Miscnae* complementum, quo quidquid in *Miscna* brevius vel obscurius dictum est, id ex variis rabbinorum sententiis amplificatur et elucidatur. Porro *Talmud* est duplex, *Hierosolymitanum*, ita appellatum, quia in ruinis urbis Hierosolymae scriptum est, et quidem lingua hierosolymitana, hoc est, syro-chaldaica tunc vigente. Hoc opus absolutum fuit circa ann. Christi 230, vel adhuc serius. Alterum *Talmud* *babylonicum* multo serius confectum est Babylone urbe Aegypti, in cuius dirutae vicinia (teste *Lexico Lipsiensi*) hodie sita est Aegypti metropolis *Cairum* seu *Alcair*. Verum de utroque *Talmude* fors alibi plura.

(3) *Commentar.* in *Ierem.* c. 9, v. 22.

iunxerunt illud praeterito capitulo, ut dicerent: disperdent parvulos de foris, iuvenes de plateis, morte: Aquila vero et Symmachus transtulerunt לְלִשְׁתָּא, id est loquere. » Et alibi (1) idem s. pater circa lectionem Zakar et Zeker ita scribit: « Nec nos terrere debet, quod LXX MASCULUM, et caeteri interpretes MEMORIAM transtulerint, cum iisdem tribus literis ZKR utrumque scribatur apud hebraeos; sed quando MEMORIALE dicimus, legitur זָכָר (Zeker), quando MASCULUM, זָכָר (Zakar). Et hac verbi ambiguitate deceptum arbitrantur iudaei Saulem, cum pugnavit contra amalecitas. » V. Antiqui interpretes graeci, et versionum chaldaicae et syriacae auctores saepe diversimode interpretantur eandem textus hebraici vocem, prout ea nimirum pro diversitate punctorum vocalium, quae subintelligi possunt, diversas res significat, manentibus iisdem consonantibus; ferme sicut in lingua latina saepe idem vocabulum, variata una aut altera vocali, sensum ipsum mutat e. g. *amantes*, *amentes*; *audire*, *audere*; *mandare*, *mandere*; idem fit in aliis linguis, sed frequentissime in lingua hebraea. Quare si tempore illorum interpretum adscripta fuissent puncta vocalia, sane ii non ita variassent, praesertim si puncta haec ab ipso *Moyse* vel *Esdra* divinitus inspirato apposita fuissent. Nec s. *Hieronymus*, ut saepe de seipso testatur, toties haec haec anceps, quisnam sensus vocalibus hebraicis sit tribuendus, neque priorem expositionem retractasset, aliamque substituisset, prout tamen non raro fecit. Taceo plura alia argumenta, quae apud alios auctores supra pro nostra sententia

(1) *Comment.* in *Isa.* c. 26, v. 14.

citatos invenies. Sed audiamus etiam argumenta adversariorum.

105. ARGUMENTUM I. Nulla lingua potest esse sine vocalibus: ergo neque hebraea. R. D. A. In pronunciando, C.; in scribendo, N. Quamvis enim una cum vocibus humanis coortae sint quoddam sonum literae tam consonantes, quam vocales: non tamen eadem necessitate statim inventae sunt et harum et illarum figura, characteres aut signa, quibus hodie exprimuntur. Retorsio est in lingua samaritana, quae nec olim, nec hodie vocales appictas habet: item in arabica veteri etc. Ceterum non negamus, veteres hebraeos iam ante masoretharum tempora habuisse aliquas, licet perraras vocales literas, seu potius consonantes, quibus vocalium loco utebantur in scribendis aut legendis codicibus hebraicis: unde haec consonantes appellabantur *matrices lectionis*, erantque duntaxat quatuor, videlicet א Aleph, ה He, ו Vau, י Iod. Erat autem difficillimus harum vocalium usus tribus potissimum de causis. I. Quia eadem literae interdum fungebantur munere suo, id est consonantium; interdum alieno, id est vocalium, nec facile diiudicari poterat, quando hoc officio, quando illo fungerentur. II. Eadem litera diversarum vocalium locum obtinere poterat. Nam Aleph saepe per e, saepius per a, interdum etiam per i et o pronuntiabatur. He saepius per e, saepe etiam per a exprimebatur. Vau initio dictionis per u semper, in medio autem et in fine modo per u, modo per o efferebatur. Iod denique poterat sonare i vel e. III. Saepe nulla harum quatuor literarum in vocibus hebraicis aperte ponebatur, sed subintelligendae erant. Itaque magis usu loquentium quam praecipis ratio legendi et pronuntiandi

apud hebraeos olim conservabatur. Quare ad hanc difficultatem minuendam postea a masorethis inventa sunt puncta vocalia (1). His autem inventis, cessarunt quatuor illae litterae fungi officio vocalium, et vocari coeperunt *quiescentes*; quia post inventa illa puncta non semper sonant seu pronuntiantur, etiamsi in voce sint positae, sed saepe quiescunt. Sonant enim duntaxat, quando funguntur munere suo proprio, id est, consonantium; quiescunt, quando fungi deberent munere alieno, id est, vocalium, quo olim fungebantur (2). Haec de his punctis eruditionis causa dicta sunt. Illud autem denuo observo, nos non negare illa quatuor puncta, *matrices lectionis* dicta, iam ante tempora masoretharum extitisse, et apud hebraeos fuisse in usu; quamvis contendamus puncta vocalia, quae hodie textui hebraico appingi solent, et universim numero sunt quatuordecim (3), esse inventum masoretharum.

ARGUMENTUM II. Non est verisimile, quod Deus usque ad saeculum aerae christianae 5 aut 6 reliquerit sensum sacri textus hebraici vagum, dubium, et incertum: sed talis fuisset punctis vocalibus non appositis; ergo haec puncta iam a *Moyse*, vel certe ab *Esdra* sacro textui fuere apposita. R. I. Hoc argumentum ipsimet adversarii, *saltem plerique* solvere debent, qui puncta illa vocalia non a *Moyse*,

(1) Triplicis generis sunt haec puncta. Quinque eorum sunt magna, i. e. vocales longae; alia quinque sunt parva, seu vocales breves; quatuor denique sunt minima, seu vocales brevissimae, et puncta rapti vocantur, quia raptim et cum maxima celeritate pronuntiantur. Universim itaque hebraei habent vocales, seu potius puncta vocalia quatuordecim, quae nos a masorethis inventa et textui hebraico apposita fuisse, contendimus. Porro omnium ho-

rum punctorum nomina, formam et potestatem exhibent *Bellarminus*, *Guarin*, *Weitenauer* aut alii in suis grammaticis hebraicis. (2) Vide *Bellarmini* grammaticam hebraic. p. 1, c. 2 et 5, aut *Guarin*, tom. 1, lib. 1, c. 2, et tom. 2 in praefat. ad initium art. 1 et art. 2, § 2, argum. 3, ac etiam principio 7. (3) Vide praeced. notam (1).

sed primum ab *Esdra* sacro textui addita fuisse dicunt; prout eorum plerique docent. Quaero enim ex ipsis, an verisimile sit, quod Deus usque ad tempora *Esdrae* (hoc est per novem circiter saecula, quod nimirum a *Moyse* usque ad *Esdram* numeramus) reliquerit sensum sacri textus hebraici a *Moyse* scripti vagum, dubium, incertum? R. II. conc. mai., neg. min. Nam ambiguitas lectionis potuit tolli, et sublata est per continuam traditionem, usum, et iudicium ecclesiae. Sicut enim usus genuinae lectionis per antiquos rabbinos ad posteros propagatus usque ad Christum fuit; ita ad nos per LXX interpretes, ac ss. patres verus sensus (quem ecclesia praecipue spectat et determinat ad conservandam doctrinam fidei et morum) pervenit. Ex quo ipso ut *Morinus* recte ait, patet *divinum consilium*, ut omnes ecclesiae iudicio se submitterent, ut se olim submiserunt israelitae. At

INQUIES: Hoc ipsum non est perceptibile, neque verisimile, quod per tot saecula recta legendi textum hebraicum ratio sine punctis vocalibus conservata sit. R. Nego illatum. Nam non est captu difficile, quomodo praedicta traditio textum hebraicum etiam sine punctis vocalibus recte legendi per tot saecula potuerit in sua integritate conservari. Fuerunt enim quovis saeculo apud iudaeos rabbi multi, qui libros divinos diurna nocturnaque

rum punctorum nomina, formam et potestatem exhibent *Bellarminus*, *Guarin*, *Weitenauer* aut alii in suis grammaticis hebraicis. (2) Vide *Bellarmini* grammaticam hebraic. p. 1, c. 2 et 5, aut *Guarin*, tom. 1, lib. 1, c. 2, et tom. 2 in praefat. ad initium art. 1 et art. 2, § 2, argum. 3, ac etiam principio 7.

(3) Vide praeced. notam (1).

manu versabant, suisque discipulis versandos tradebant, eos instruentes, quomodo ex veterum traditione patrum legi debeant. Solemne insuper fuit toti genti iudaicae, ubicumque degeret, per omne sabbatum in singulis synagogis legere *Moysem* et prophetas, psalmosque lingua hebraica decantare. Unde s. *Iacobus* (1) ait: « *Moyse* enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. » Quid igitur mirum, quod sine adscriptis vocalibus aut punctis recta legendi ac pronuntiandi textum hebraicum ratio usque ad tempora masoretharum per continuam traditionem apud iudaeos fuerit conservata? Et profecto olim pueri, ait *Salmeron* (2) « solebant legere sine punctis, cum haec non essent; et modo maronitae, qui habent Scripturas in lingua et caractere hebraeo, sine ullis legunt punctis. » Item liber legis in iudaeorum synagogis legi solitus (3), librique rabbinorum, etsi nullas habeant punctorum vocalium, accentuum, periodorum et commatum notas, leguntur tamen ab iis, qui linguae periti sunt: leguntur, inquam, cum periodorum distinctione, et cum vocalium, et accentuum pronuntiatione. Idem contingit in lingua arabica, aliisque orientalibus. Unde p. *Lamy* (4) ait: *Pueriturcarum, arabum, persarum, ac omnium denique mahummedanorum sine punctis legere discunt.* Sic etiam periti antiquissimos libros graecos et latinos legunt, et pausant, ubi pausandum est, et distinctiones a se invicem secernunt, et cum legitimo accentu efferunt, licet in illis libris nulli sint accen-

(1) Actor. c. 15, v. 21. (2) Proleg. 4. (3) Vide supra n. 101 in probatione nostrae sententiae, probat. 2.

tus, nulla commata, nulla saepe dictionum distinctio, sed lineae omnes velut una dictio scriptae sint. Ceterum si dubium sit quomodo textus s. Scripturae legendus aut intelligendus sit, id ultimato ex iudicio ecclesiae desumendum, quae, sicut in aliis rebus fidei et morum, ita etiam in hoc infallibilis controversiarum iudex est.

ARGUMENTUM III. Punctorum vocalium et accentuum mentio iam fit in ipsa *Masora*, seu in doctrina critica circa rectam lectionem et scriptionem textus hebraici s. Scripturae, multaque ibi notantur vocabula, quae contra regulas punctantur: ergo haec puncta sunt masorethis antiquiora. R. *Masoram* nec unius auctoris, nec unius saeculi opus esse, sed a variis criticis coeptam, et longa temporum serie continuatam. Priores itaque puncta vocalia invenerunt, et sacro textui inscripserunt: posteriores vero notas suas circa punctationem vocum quarundam addiderunt. Certum enim est, quod *Masorae* perficiendae plurimi, et ut inquit *Elias Levites* (5) fuerunt centum et mille generatione post generationem. Praeterea priorum masoretharum notis absque scrupulo suas adiecerunt posteriores notas magistri, *Masoramque* ut opus imperfectum semper spectarunt. Unde memoratus *Elias* (6) ait, *notas illas eiusmodi esse, ut semper eis aliquid novi adiaci possit, et nova in dies excogitari possint.* Unde non mirum, quod in ipsa *Masora* saepe de punctis vocalibus mentio fiat, etsi haec puncta primum a masorethis inventa fuerint.

ARGUMENTUM IV. Christus ipse iam mentionem punctorum facit, cum

(4) In apparatu bibl. d. 2, c. 3. (5) In *Masoreth Hammassoreth* l. 1. (6) Praefat. in *Masoram*.